



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Francisci Svarez Granatensis E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Primarij
at[que] Emeriti olim Professoris Tractatvs Qvinqve, Ad
Primam Secvndae D. Thomae**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1629

3. De causis peccati originalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94065)

posset in hac, & præcedente propositione. Nam illa priuatio, quæ est in nobis, est à Deo, & est pœna peccati Adæ, & effectus eius: quomodo ergo potest habere propriam: & veram rationem culpæ, ea enim soluenda sunt eo modo, quo soluius familia cum de peccato habituali ageremus: priuatio enim gratiæ non est à Deo influente, sed non agente, & ad huc modo non est ab illo formaliter quatenus est peccatum, sed ut est veluti materiale peccati, sic enim potest esse pœna peccati Adæ: sic etiam vnum peccatum possit esse effectus alterius, & lato modo pœna contracta ab ipso.

XXXI. Ex his manet solum primum fundamentum, quod in præcedenti sectione *mun.* 1. Pelagiana hæresis assererat, nam licet repugnet peccatum nullo modo esse voluntarium, atque adeo esse prorsus naturale, & necessarium tamen non repugnat esse tantum voluntarium: moraliter, voluntate alterius suppositi, & præcipue, quando tale peccatum non actuale, sed habituale est, & eodem modo repugnat esse naturale, id est cum ipsa natura in generatione contractum, & necessitate quadam, supposita priori voluntate. Ad primam confirmationem latius infra, nunc breuiter dicitur æqualitatem esse in hoc seruatum, quod sicut inobedientia Adæ nobis nocuit, ita profuisset obedientia si obediret, ut caput, non ut particularis persona, quia totum pactum Dei ad solam illam legem de non manducando cibo referebatur. Secunda confirmatio non indiget solutione, nam Deus non imputat nobis alienum peccatum: sed proprium cuiusque, licet alterius voluntate contractum, quod iustissime fieri potuisse ostentum est.

XXXII. Ex dictis præterea expediunt nonnulla dubia. Primum, an peccatum originale sit cum reliquis vniuoce peccatum nam Capreol. 2. *distinct.* 90. ad argumenta, fatetur quidem peccatum esse, sed nimis æquiuoce: aliis vero videtur hoc esse contra fidem, quia si non est vniuoce peccatum, neque simpliciter tale erit. Ego vero existimo omne peccatum habituale comparatum ad actuale continere quandam analogiam, quia ratio peccati primo, & per se reperitur in actuali: ex consequenti vero in habituali, per ordinem scilicet ad actuale, in quo non cernitur solum differentia maioris, vel minoris malitiæ, sed quidam veluti ordo vnus ad alterum, in quo consisteret analogia. Antecedens vero patet, quia peccatum habituale, non est voluntarium, nisi per ordinem ad actuale, & similiter non est deuiatio à lege, nisi per illud, quia lex non cadit in habitum, nisi per actum, neque propterea sequitur habituale peccatum non esse simpliciter peccatum, quia analogia hæc non consistit in sola denominatione extrinseca: nam vere in se & intrinsece habituale peccatum, est peccatum, licet non sine ordine ad alterum: ad eum modum, quo creaturæ sunt entia in ordine ad Deum vel accidentia respectu substantiæ. Secundo existimo rationem peccati habitualis vniuoce reperiri in originali, & personali. Ratio est, quia licet reuera peccatum personale magis voluntarium sit, differentia tamen magis, & minus, quando est sine ordine non constituit analogiam: hic autem nullus est ordo, quia peccatum originale, neque rationem voluntarii, neque rationem transgressionis legis, atque adeo, neque rationem peccati habet ex ordine ad personale peccatum, ut per se constat.

XXXIII. Secundum dubium, an quando paruulus con-

trahit hoc peccatum, dicatur verè, & proprie peccare: dicendum proprie, & simpliciter non peccare, quia verbum ipsum peccare manifeste indicat actuale peccatum: sed dici debet generari in peccato, vel nasci in illo, sicut ille qui semel peccauit, non dicitur amplius peccare, licet in peccato maneat. Dices, ad Romanos 5. habetur, *Omnes in Adam peccauerunt.* Item paruulus in eo instanti fit peccator: ergo peccat. Respondetur non fieri peccatorem committendo, sed contrahendo peccatum. Paulus vero non ait simpliciter peccare nos, sed cum addito, & in præterito peccasse nos in Adamo, vnde postea simpliciter subdit, *peccatores constituuntur multi.*

Tertium dubium potest defini hic quod sit maius peccatum originale ne, an veniale. Nam D. Thomas 3. p. *quest.* 1. art. 4. sine vlla distinctione respondet veniale esse intrinsece maius, quàm originale. Idem tamen q. 5. de malo art. 1. ad 9. ait respectu personæ esse grauius veniale, quia magis voluntarium: tamen respectu naturæ maius malum esse originale. Respondendum tamen videtur cū peccata hæc sint diuersorum generum, vix posse commode comparari: simpliciter vero maius malum, & peccatum videri originale, quia priuat hominem gratia Dei, non autem veniale, licet alia ratione secundum quid veniale sit grauius in ordine ad personam, quia magis voluntarium, propter quod is qui peccat venialiter, reprehensione dignus est, non qui originaliter.

SECTIO III.

De causis peccati originalis.

Constat originale peccatum nullam habere causam finalem, quia per se non est intentum, sed per accidens sequitur. Formalem quoque non habet præter quidditatem suam: de materiali vero, seu subiecto eius, licet Theologi diuersa sentiant (Durandus enim, & alii volunt esse in appetitu sensitiuo, Scotus, & Bonauentura in voluntate) probabilior tamen videtur sententia D. Thomæ 1. 2. q. 83. art. 2. dicens primario esse in essentia animæ, consequenter vero in voluntate, quia gratia, seu iustitia primario est in animæ essentia, ac totus homo fit hoc peccato Deo iniustus, & ingratus per se primo: voluntas autem ab vltimo fine consequenter auersa, nam ad ipsam primo pertinet etiam conuersio ad eundem finem, quæ omnia explicanda, & defendenda sunt eo modo, quem supra tradidimus, cum de peccato habituali ageremus. De causa ergo efficiente sit

Prima propositio. Causa huius peccati, quod in nobis fit, ipsum fuit peccatum Adæ, quo se & omnes posteros à Deo auertit. Patet ferè ex dictis, & ex Paulo ad Roman. 5. per vnum hominem, &c. & infra explicabitur.

Secunda propositio. Peccatum actuale Adæ non potuit esse causa physica efficiens in singulis hominibus peccatum originale, sed est solum causa moralis. Videtur clara satis propositio quod ad primum partem, quia causa physica est, quæ vere, & realiter influit in effectum: actus autem Adæ id non potest, quia non est, quando singulorum hominum peccata incipiunt: Secunda pars constat ex priore, quia non restat modus alius, quam moralis efficientiæ, qui explicari potest primo per modum meriti, & demeriti. Namque Adam peccando meruit posteros omnes priuari gratia

gratia, & consequenter nasci inimicos Dei. Quibusdam hæc explicatio non placet, quia similiter, si Adam perseveraret, ac obediret Deo, mereretur posteris gratiam, & iustitiam de condigno: si ponamus Adam nihil meruisse, sed tantum non peccasse, id satis esset, ut tota posteritas nasceretur in iustitia, & gratia absque vlllo merito Adæ. Vnde Driedo lib. 2. de captivitate & redemptione, tractatu 2. cap. 2. parte 4. negat Adamo rationem hanc meriti ex iustitia, sed per modum, inquit, naturæ communicaretur, si ipse perseveraret, & similiter per modum naturæ communicatur peccatum ipso olim peccante. Hoc ergo politico dicitur esse illud peccatum fuisse causam moralem per modum efficientis, quia illud est quasi radix, qua posita, & applicata subiecto ab illa statim moraliter deriuatur peccatum, vel etiam quia, ut Paulus ait, ipso peccante, omnes in illo censentur peccavisse.

III. Tertia propositio. Hoc peccatum originale prout in nobis sit, non habet causam physicam efficientem neque eget illa. Probatur, quia solum est privatio, ut ostendimus: privationes autem per se non indigent his causis. Dices saltem posse habere causas privativas, seu non agentes. Respondetur eo modo iam supra dixisse nos, posse Deum aliquo modo esse causam quoad materiale, quod est in hoc peccato, non tamen ipsius peccati, ut etiam ostendimus, & bene declarat D. Thomas quest. 4. de malo art. 1.

IV. Ex quo facile solvitur dubium, per quas rimulas hoc peccatum ad nos ingreditur, ut obiebat Augustino Iulianus lib. de nuptiis cap. 28. ob quam difficultatem, Magister & alii commenti sunt illam qualitatem morbidam in femine, & Capreolus dist. 31. quest. 1. posuit in femine quandam qualitatem saltem intentionalem, quæ possit originale peccatum in omnia efficere: quod profus est falsum, & improbabile, tum propter rationes factas contra Magistrum: tum quia est superflua qualitas, quia impossibile est privationem per se fieri efficienter ab aliqua qualitate. Recte igitur Augustinus solum respondet: Quid quæris latentem rimam, cum habeas apertissimam ianuam: per unum hominem peccatum intravit in mundum: quasi diceret, præter hanc non oportere aliquam quærere causam per se huius peccati. Quocirca actione seminis solum fit, ut homo ex Adamo nascatur, quod naturale est, ex quo (posito iam Adæ peccato sine alia physica efficientia) fit ut hic homo nascatur avertus à Deo voluntate sui capitis: quare quod Augustinus contra Iulianum capite quarto, & libro de peccatorum meritis cap. 16. & 2. de Nuptiis capite vigesimo sexto, scribit peccatum hoc fieri propter concupiscentiam, vel libidinem, quæ in generatione hominis adiuncta est, non est intelligendum concupiscentiam, vel libidinem esse causam, quæ peccatum originale in prole efficiat, tum propter dicta, tum quia cum homo concipitur, non est iam illa concupiscentia: tum denique, quia sæpe in illa non est macula: intelligendum ergo istum generationis nostræ defectum ex peccato primi parentis mansisse, & hæc defectuosam generationem esse viam, per quam originale peccatum suo modo transfunditur, atque eodem modo exponendus est Divus Thomas 1. 2. quest. 83. artic. 1. cum ait, in femine esse hoc peccatum originale, tanquam in causa instrumentali, non quod in illo sit aliqua vis productiva peccati, ut sic, sed quod semen sit instrumentum, quo producitur filius naturalis Adæ, quam productionem consequitur nunc hoc peccatum.

Suarz. in primam secunda D. Thom.

Ex quo etiam solvitur aliud dubium, quomodo cum anima creatur à Deo, possit statim maculari. Propter quod multi de modo productionis animæ dubitarunt, ut Augustinus libro de origine animæ, & epistola 26. & 157. & alibi. Respondetur tamen, licet anima creetur, ut fides docet, tamen homo verè generatur, & producitur ab homine, & ex femine Adæ, neque anima ipsa creatur, nisi ut sit pars hominis: & ideo simul creatur, & unitur, quare totus homo quilibet genitus ex Adamo comprehensus est sub lege Dei, per quam voluntates hominum posita fuerunt in voluntate Adæ: Quod si quæras cur Deus creat animam, quam seipsum statim inficiendam peccato. Respondet D. Thomas illa quest. 85. artic. 1. ad 3. primo, quia commune bonum uniuersis, præfertur privato. Secundo, quia ipsi homini melius est, sic esse, quam omnino non esse. Tertio, quia illa macula non est perpetua, cum Deus constituerit modum, quo possit deleri.

Tertio intelligitur ex his, quare ex parentibus iustus filius peccator generatur, quia scilicet non generatur ab illis, ut sunt iusti, sed ut sunt filii Adæ. Ita Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis cap. 8. 9. & 10. & lib. 6. contra Iulianum cap. 2. & 3. cuius rationis sensus est, quia solum peccatum Adæ, fuit peccatum capitis, atque adeo totius naturæ: iustitia autem personalis, sicut & poenitentia Adæ, & ideo efficacius est peccatum Adæ, licet sit parens remotus ad transferendum peccatum, quam iustitia proximi patris ad gratiam communicandam. Vide Magistrum 2. dist. 31. & ex his manet solutum secundum fundamentum hæresis Pelagianorum.

Quæstioncula nonnullæ circa deriuationem peccati originalis.

Iam petes primo, quodnam Adæ peccatum fuerit causa originalis peccati. Respondetur fuisse peccatum illud quod commisit contra legem prohibentem esum fructus arboris scientiæ boni, & mali, nullumque aliquid præter hoc peccatum potuisse esse causam. Prima pars constat ex poena illa peccato imposta, in quocumque die comederis morte morieris. Quæ verba à sanctis intelliguntur dicta toti naturæ humanæ, ut patet ex illis verbis, quia audisti vocem uxoris tuæ, maledicta terra, & cæter. Idem est sensus Pauli ad Roman. 5. cum dicit, si vnus delicto multi mortui sunt, & clarius infra, si enim vnus delicto mors regnavit, & cæter. Quod vnum peccatum sancti intelligunt fuisse illam inobedientiam. Tridentinum quoque sessione quinta, id aperte confirmat. Secunda pars probatur, quia Deus nullam legem imposuit Adæ tanquam principio, & capiti totius naturæ, nisi illam cohibentem cibum, ut patet ex Scriptura. Confirmatur: quia ex sententia Augustini, & aliorum primum Adæ peccatum fuit superbia: ergo si propter cætera peccata & non propter illud tantum, nasceremur in peccato, non esset verum, per vnum peccatum, sed per plura, mortem ad nos transisse. Quare cum sancti videntur dicere primum Adæ peccatum fuisse causam perditionis humanæ naturæ, loquuntur de peccato illo perfecto, & completo, quod exterius apparuit, & expressè in Scriptura narratur. Quod docet D. Thomas 1. 2. quest. 81. art. 2. Quærenti vero, an si Adam solo interiori actu peccasset contra illam legem, nobis noceret. Respondendum, licet nihil videatur certum, Deus enim potuit vtroque modo

V. Dubium alterum.

VI. Dubium

VII. Questioncula.

Solum internum Adam sufficeret ad transfusionem in posterum.

modo id statuere, verifimilius videri etiam transgressionem interiorem futuram fuisse sufficientem, quia illa lex simpliciter erat imposita toti naturæ, & illa interior esset perfecta transgressio eius: esset ergo auersio, & inobedientia totius naturæ, & de facto nunc non transferretur ad nos propter exteriorem actum, qui malitiam non addit, sed propter id, quod veram habet rationem auersionis, & culpæ.

VIII. Secundo petes, an peccatum Eue fuerit etiam causa nostri peccati originalis, atque adeo illa peccante, & non Adamo, homines nascerentur in originali, quod tractat D. Thomas 1. 2. *quest. 81. art. 5.* & negatiue responderet, utitur tamen illa ratione, quod mater sit principium materiale in generatione, non efficiens, sed quidquid de ratione ipsa sit, sententia vera est, ex illo Pauli, *Per vnum hominem peccatum in mundum intrauit.* Ratio vero est, quia solus homo Adam fuit constitutus caput generis humani, & ideo sola eius voluntas reputabatur voluntas totius naturæ.

IX. Tercio petes similiter, an peccatum alterius parentis præter Adamum transferretur ad filium, id est, si Adamo non peccante Cain peccaret, posteritas Cain nasceretur sine gratia, Scelus enim *distinct. 31.* affirmat in eo casu omnes illos homines nascituros in peccato, quod etiam sentit Driedo libro secundo de redemptione, & captiuitate generis humani tract. 2. capite 2. in fine, & fuit sententia Diui Thomæ *quest. 5. de malo art. 4. ad 8.* sed nullum video huius sententiæ fundamentum. Quare opposita sententia vera videtur, quam tenet D. Thomas illa *quest. 81. art. 2.* Ratio est, quia solus Adam fuit caput suæ posteritatis, & cum illo fuit quasi fœdus illud contractum, quod patet primo, quia de illo tantum est nobis reuelatum, & non de aliis. Secundo, quia ita fuit conueniens, alias omnium filiorum Adæ salus ex voluntate singulorum, & omnium parentum penderet, mortem vero quilibet eorum per se posset causare. Tercio, quia Adamus, & sibi, & toti posteritati iustitiam perdidit: ergo si perseverasset, eam posteritati conquiret: alias non esset æqualis pæctio. Quarto, quia nunc parens iustus non transfert suam iustitiam ad filium: ergo similiter, si duraret status innocentie, pater iniustus non transferret suam iniustitiam ad filium. Quinto, quia alias nunc etiam dici posset peccata Cain, vel aliorum filiorum Adæ transferri ad filios.

X. Quarto petes, an originale peccatum in singulis hominibus sit vnum, vel plura, in qua re Augustinus in *Enchiridio capite 44. epistola 36.* dubius esse videtur. Dicendum est tamen in vnoquoque esse vnum tantum originale peccatum, quod colligitur ex Paulo ad Romanos quinto, & Trifissione 5. Estque communis Theologorum, & ratio est, quia vnum solum peccatum Adæ est causa, & origo istius peccati, vnde vnica tantum voluntate censetur in ipso peccasse. Neque obstat non nunquam in Scriptura hoc peccatum nominari in plurali, vt Psalmo 50. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum,* & sæpe alias dicitur Christus venisse in remissionem peccatorum, quomodo loquitur Damasus Papa *epistola ad Episcopos Orientis refertur lib. 3. Tripartita capite 15.* Nam sæpe plurale pro singulari ponitur, vel certe id fit ad significandum peccatum hoc, esse multorum originem, & formaliter vnum, multa autem virtute, vt Diuus Thomas notauit *qu. 82.* Consule, si placet, pro dictis hæc tenus *lib. 4. de opere sex dierum.*

**

*

SECTIO IV.

An peccatum originale ad omnes Adæ filios deriuetur.

Explicatis causis originalis peccati, oportet nonnulla de generali eius propagatione dicere, in quo duo occurrunt videnda. Primum, an soli filij Adæ naturaliter ex illo geniti hoc peccatum contrahant. Secundum, an omnes.

Prima propositio. Soli homines & omnes naturaliter ex Adamo generati contrahunt hoc peccatum. Est ex communi sensu, & traditione Ecclesiæ, & colligitur ex ad Romanos 5. vbi bene remittit. explicat Anselmus, & Origenes libro quinto ad Romanos, & Augustinus decimo, *Genesis ad literam cap. 20.* D. Thomas 1. 2. *quest. 81. articulo octauo.* Ratio à priori est lex diuina, & voluntas, qua statutum est, vt Adam tantum eorum hominum esset caput, qui ab illo naturaliter generantur, de potentia enim Dei absoluta, fortasse non repugnaret aliter fieri pæctum: congruentia quoque non deest, quia non erat expediens Adamum communicare illi culpam, cui non tribuebat naturam. Quæ ratio, inter alias, Christus ex vi suæ conceptionis erat immunis à peccato, idemque dicendum de quouis homine, qui à Deo crearetur, vel produceretur ex alia materia, vt notauit Diuus Thomas illa *quest. 81. articulo quarto.* vnde sequitur primo, Eum non habuisse gratiam, & iustitiam originalem dependentem ab Adamo, quia non processit ab illo per naturalem generationem.

Secundo sequitur, si ipsa Eua non peccasset, non amissuram originalem iustitiam. Vnde cum Paulus inquit, omnes in Adam peccasse, intelligitur de filiis, non de vxore: quare Adam caput quidem Eue fuit politicum in ordine, scilicet ad res matrimonij, non vero fuit caput in ordine ad iustitiam, vel culpam, nec id expediens foret, tum quia ex vtroque vnum integrum principium speciei humanæ constituebatur, tum propter aliam rationem, quam statim subiciam.

Tercio sequitur è contra, si Eua tantum peccasset, amissuram non solum gratiam, sed etiam originalem iustitiam, atque ita de facto amittit per proprium peccatum: in quo est deceptus Catherinus super *Genesis, & ad Romanos 5. vt in tract. de opere sex dierum libro 3. cap. 13.* late dicimus. Quid autem tunc fieret: si casus ille contingeret, diuinæ providentiæ esset relinquendum, vt in eodè tractatu videre licet.

Quarto sequitur, si Adam ante primum peccatum generaret filium, in iustitia quidem generaturum, an verò post ita genitum peccasset, filius genitus in iustitia eiusque posteritas amissuri fuissent iustitiam, nihil certum nobis esse potest, quia totum pendet ex modo pæcti, & voluntate Dei: videretur tamen verifimile primo in eo casu omnes genitos ab illo filio Adæ nascituros in peccato originali, quamuis proximus parens esset iustus. Ratio insinuat est, quia iustitia proximi parentis semper est personæ particularis, illeque nepos vere esset genitus ex Adamo peccatore, atque eius voluntas conferretur ex pacto Dei constituta in voluntate Adæ. Secundo de tali filio iam antea in iustitia genito, videretur probabile non amissuram gratiam, nec iustitiam eorum Deo propter subsequens Adæ peccatum. Primo, quia Deus non aufert gratiam suam ab eo, qui iam illam continet.